

antiqua praetereo, quod C. ³Servilius Ahala Sp. Maelium, ⁴novis rebus studentem, manu sua occidit. ⁵Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ⁶ut viri fortes acerbioribus supplicibus civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus ⁷senatus consultum in te, Catilina, ⁸vehemens et grave: non deest ⁹rei publicae consilium neque auctoritas hujus ordinis: ¹⁰nos, nos, dico aperte, consules desumus. X

II.—4. Decrevit ¹quondam senatus ut L. Opimius consul videret ne quid res publica detrimenti caperet; nox nulla ²intercessit; interfectus est ³propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo ⁴patre, avo, majoribus: occisus est cum liberis ⁵M. Fulvius consularis. ⁶Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica: ⁷num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At vero nos ⁸vicesimum jam diem patimur hebescere ⁹aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujus modi senatus consultum, verum ¹⁰inclusum in tabulis tamquam in vagina reconditum, ¹¹quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, convēnit. Vivis, ¹²et vivis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam. X Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non ¹³dissolutum videri, sed jam me ipse ¹³inertiae nequitiaeque condemno. 5. ¹Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata, crescit ²in dies singulos hostium numerus, eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque ³adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te ⁴jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero, ⁵credo, erit ⁶verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat. X Verum ego hoc,